



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ**

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium  
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

**Puente, Luis de la**

**Pragæ, 1672**

Caput 12. De sapientia Christi Domini, quæ in eo elucebat, quando erat  
duodennis in medio Doctorum, atque etiam dum prædicaret.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38580**

omnia penetrare, ideoque commoveri, & flere: quæ ad me conversa, mihi dixit: Vidēsne quid fiat? Hoc frequenter accidebat, quando in mundo vivebamus. Tandem audiendo quodam die Sacrum, videbam oculis animæ, in Altari ad latus Epistolæ, jacentem valde parvum Infantulum, splendidum & elegantem, circumdatum radijs lucis, & summi splendoris. Contemplabar illum cum magna admiratione & solatio, quia advertebatur esse DEUS, & in vultu ipsius resplendebant radij Divinitatis, ac Majestatis infinitæ. Quamvis autem ibidem adesset quasi quiescens Beatissima Virgo, tota eram intenta a-

spiciendo Infanti. Deditque mihi Divina Majestas magnum lumen pro cognoscenda magnitudine infinitæ ipsius potentæ, eò quòd licet sit tantus DEUS, totus esset conclusus in tam exiguo Infante, nec non immensitate ejus Sapientiæ, quòd assumperit tale medium, & invenerit pro nostro commodo ac remedio. Cùmque ego potiùs desideravissim fuisse disserere de hoc mysterio, dixit mihi Dominus: Esne modo contenta? Respondi: Ità sanè mi Domine, quamvis etiam vehementer fuerim pudefacta, & confusa, quòd adeò blandè mecum ageret DEUS, cùm sim tam miserabilis, quàm sum.

## CAPVT XII.

De Sapientia Christi Domini, quæ in eo elucebat, quando erat duodennis in medio Doctorum, atque etiam dum prædicaret.

### §. I.



*Omnich infra Octavam Epiphania, in cuius Missa canitur Evangelium de Ascensu Christi Domini ad Templum, cum factus esset annorum duodecim, habuit hanc visionem: quando ferventer agebatur, ut stabiliretur sententia de Purissima Conceptione Beatissimæ Virginis.*

Agens, inquit, nocte quadam cum Domino, vidi derepentè intrantes meum cubiculum per gratiosissimam portam, quæ ducebat quasi ad quosdam amœnissimos hortos, multos sanctos Angelos parvos, instar puerorum circiter octennium, qui agebant ephebulos JESULLI, eleganter ornatos, & speciosissimos: veniebant bini, & fuerunt viginti quatuor. Postquam sunt ingressi, celeriter abiverunt ad alium hortum, in quo erant multi flores odoriferi, & varij, ibique stabant, quasi aliquid præstolantes. Licet verò ipsos viderem, nihilominus abstraheram ab illis meum animum, agens cum meo Domino, & expectans, quem finem esset habiturum illud

mysterium. Paulò post vidi revertentes, & invicem colloquentes, ac si dicerent: Jam venit Dominus. Et continuò vidi per quosdam gradus, qui pertingebant usque ad cælum, descendentes ad meum cubiculum multos Angelos majores, alios autem in aère concinentes divinè & mirabiliter cantilenas graves in laudem Divinæ Majestatis, quos omnes sequebatur Christus Dominus, præferens ætatem duodecim annorum, in eo vestitu, quem gerebat in mundo, magna cum gravitate ac majestate. Sancti Angeli ipsi præparaverunt thronum & suggestum cum sella, ubi confedit. Ego vehementer fui turbata, atque anxia, more solito, & quamvis omnia ista spectarem, avertebam mentem ab eo, quod videbam, ac recurri ad DEUM, ut me illuminaret, pro cognoscendis ipsius veritatibus. In hoc me satis diu detinui, & Dominus me expectabat. Tandem fui coacta redire ad mysterium, quod spectabam, & Dominus mihi dixit peramanter & graviter: Marina, quid facis? quid volvis animo? ego vehementer turbata illi respondi: Domine hic maneo in isto lecto miserabilis, & peccatrix, plena miserijs;

Bb 3

Sup-



Supplex rogo tuam Majestatem, ut præstes mihi favorem, & misericordiam, adjuvesque me, ac des mihi tuam sanctissimam gratiam, & amorem, ac lumen ad cognoscendas tuas veritates, & nè decipiar. Tum mihi Dominus respondit cum magna gravitate, & autoritate: *Concedo tibi id, sicut petis, pro omni tempore, & in perpetuum, in nomine mei Patris, ac meo, & Spiritus sancti.* Quo dicto dedit mihi suam benedictionem, & addidit: *Scito me venisse, ut tibi committerem aliquid concernens meam gloriam, & est, ut omnibus Secularibus, & Religiosis, ac Monialibus, quibuscum conversaris, suadeas devotionem erga meam Matrem, & ipsius Sanctissimam ac Purissimam Conceptionem, immunem à peccato originali.* Quando hoc audivi, fui recreata, & plurimum animata, atque exhilarata, & respondi: Domine, faciam id quam libentissimè, & promptissimè. Præterea Dominus prosequutus suum sermonem dixit: Scito, me ab instanti meæ Conceptionis habuisse scientiam & sapientiam, quam modò habeo, & semper habui, ideòque cum mea Matre, quando adhuc eram Infans, fuisse conversatum & colloquutum, ac revelavisse ipsi magna mysteria celestia, & mea; propter alios homines tamen occultavisse istam sapientiam, & sicut crescebam ætate, ac annis, patefecisse illam mundo; cumque essem duodecim annorum, incepisse eandem manifestare, & remansisse in Templo, ubi interrogabam illos Doctores Legis, iisdemque respondebam, annuntiando ipsis Messiam promissum jam advenisse. Et ecce quam parum id ipsis profuit! Vellem, non ita etiam nū contingeret; sed, ut veritates, & mysteria, quæ ego manifesto ac declaro Patribus spiritualibus & Ministris, quorum officium est illa explicare, iisdem stabilirent, & credibilia redderent, quantum possunt, pro mea gloria & honore, ac bono animarum, neque ea occultarent, & silendo infirmarent.

## §. II.

**P**ER idem tempus, ante Quagagesimam, dum aliquando manè essem

collecta, inter affectus ardentissimos Divini Amoris (quæ est frequentissima occasio, quâ Divina Majestas me dignatur visitare) elevavi oculos animæ, & vidi Christum Dominum indutum elegantissimâ veste, auro & gemmis ornatâ, quæ significabat ipsum verè esse Regem, ac Dominum: habebat quoque in suis manibus librum apertum non magnum, nec adeò parvum, pretiosissimum tamen, quem attentè inspiciebat, inclusum auro purissimo, & gemmis. Hæsi aliquamdiu attonita, spectando hæc miracula, & istam magnificentiam, ne sciens, quale mysterium continerent. Alloquuta autem me fuit Divina Majestas, & exposuit mihi, quid illa vestis ac liber significarent, dicendo mihi: Noveris, quòd cum Æternus meus Pater ac Dominus, cui sum æqualis in Divinitate, me creavisset, & constituisset secundum Humanitatem, Regem ac Dominum universalem omnium rerum creaturarum, propter eaq; mihi contulisset imperium, dominium, & potestatem super illas omnes, fuerim veluti incognitus, nulla præbens indicia hujus veritatis, triginta annis meæ ætatis, quia ita itatuerat, ac disposuerat Divina Majestas. Sed illis transactis prodivi in publicum, demonstraturus hanc veritatem meis operibus, & miraculis, quæ eam attestabantur. Et quia id hoc tempore contigit, volui tibi exhibere hunc favorem, & gratiam, ut me videres in ista specie, & veste, quæ significat hanc veritatem, illuminando simul specialiter tuam animam, ut agnosceres me esse Regem, ac Dominum omnium rerum creaturarum, non solum ut sum DEUS, sed etiam ut sum Homo. Dum hoc Divina Majestas diceret, inspiciebat nihilominus librum, quem tenebat in manibus, in quo mea anima peculiariter illustrata cognovit, quòd Christus Dominus, quæ Homo, Divino illo suo obtutu, penetrante altissima mysteria, inspiciendo illum sacrum librum, qui significabat ipsius sacratissimam Divinitatem, videret in eodem, & cognosceret sublimissimè ac divinissimè omnes res præteritas, præsentis, & futuras, omnesque haberet præsentis, & omnes exactissimè sciret, atque intelligeret.

Tali.



Taliter se mihi spectandum exhibuit ali quamdiu Dominus, ostendens mihi ista sua magnalia, cum magno stupore, & solatio meæ animæ.

## §. III.

**A**Lio die, intenta meæ orationi, conspexi Christum Dominum, in ordinario ipsius, gravi ac modesto vestitu, ad cuius latus dextrum erat alia quædam persona valde gravis, & magnæ Majestatis, cujus vestitum nescirem describere, quem tantum memini fuisse valde candidum & gravem, neque etiam vultum. Quia etsi mihi videretur homo propter figuram & formam, nihilominus etiam videbam clarè corpus illud & vultum, quem præseferbat, non fuisse verè humanum, neque ipsum constare ex carne, & ossibus, qualis est, & qualem video, atque agnosco re ipsâ, ac verè esse Christum Dominum, quem ego intuebar magno cum solatio; & similiter aspiciebam alteram sacratissimâ Personam, quæ stabat ad manum ipsius dextram. Erat autem quiddam mirabile, quod mihi Dominus ostendebat, ut non nihil intelligerem de eò mysterio: esse videlicet unum solum DEUM, & duas Personas, quas videbam distinctas. Quia, cum intuerer unam solam, videbam in illa utramque, neque aliud in iisdem videbam, quam unum Esse Divinum. Statim autem mihi dedit Dominus lumen, quo illustrata, cognovi unam earum Personarum esse Patrem Æternum, alteram vero Christum JESUM Dominum nostrum, Filium ipsius, atque licet sint ab invicem distinctæ, utramque tamen esse unum solum

DEUM, ac Dominum nostrum, unam Majestatem, unam Potentiam, & unum Esse infinitum. Dum vehementer obstupescerem contemplando hoc Mysterium, vidi ante illas duas Divinas Personas, quendam vultum elegantissimum, instar vultus Angelici, qui Divinis & perspicacissimis oculis, magnam præseferens sapientiam, attentissimè & fixissimè intuebatur pectora illarum duarum Divinarum Personarum, ita ut uno solo intuitu penetraret, videret, atque cognosceret altissima mysteria, quæ erant recondita in earundem pectoribus. Videns istum vultum stupebam, cogitando intra me, ipsum esse quempiam Angelum magnæ sapientiæ, dicebamque tacitè: Quis potest esse iste Angelus, tam sapiens? Cum ita stupere, dixit mihi Dominus: Non intelligis hoc mysterium: neque enim est Angelus, quemadmodum cogitas, sed est Sapientia, quam habuit Christus ut homo, quâ assequutus est, & sublimissimè ac divine intellexit omnia mysteria Divina ac cœlestia Divinæ Majestatis & Magnitudinis. Ego plena stupore & amore DEI, se cum tanta bonitate communicantis huic miserabili creaturæ, cucurri, & abjeci me ad pedes JESU Christi Domini nostri, quos sum osculata cum summo amore & reverentia. Fuit autem res mira, quòd cum oscularer, ut mihi videbatur, solos illos Divinos pedes Christi Domini, fuerim in ipsis osculata pedes sacratissimæ Personæ Patris, cum sit distincta à Persona Filij. Tum mihi largitus est suam benedictionem, cum magno amore, atque solatio, & utraque Persona discessit innumerabilibus circumdata Angelis.

